

angelus & supra angelos. Et quare indignuit asino vel iumentum a Mecca usque ad Hierusalem / qui ex Hierusalem usque ad ultimum caelum ascendit absque asino: quomodo potuit tot splendores angelorum in caelo sustinere: qui dicebat / quod quando apparebat sibi unus angelus / semper in terram concidebat: & spiritus agitabatur: & incuruabantur & contrahebantur manus & pedes eius: Et neque in praedicta visione ponit se raptum: sed dicit quod ascendit cum corpore simul & anima: cuius signum est: quia dicit quod deus manu sua tetigit eum inter humeros: & sensit frigiditatem usque ad medullam spinę dorsi. Unde deum & angelos supponit positionem habere spacio corpora i.

De quibusdam sex quaesitis in Alcorano comunibus
& de christi ad Mahometum excellentia: Cap. xv.

Consequenter mouende sunt dubitationes quaedam
c & quaestiones in Alcorano: de quibus cum non possint rationem reddere saraceni: non solum vocabuntur simpliciter / sed etiam cogentur demonstrationibus coacti in conuiuium veritatis introire. Prima quaestio est: quid vult Alcoranum dicere: quando totiens inducit deum pluraliter de seipso loquentem: Dicit enim in Elimpaceram ex persona dei: Diximus angelis adorare Adam: & reliqua. Et post haec per totum dicit usque ad finem libri / aliquando pluraliter de deo loquens / aliquando autem singulariter: firmissimum enim est omnibus christianis & iudeis & saracenis qui ratione utuntur: unum esse deum & solum & simplicem: & non posse habere consortem quendam. Quare igitur pluraliter loquitur de eo ipso: Et non possunt dicere: quod deus loquitur de seipso & de angelis: Dicit enim ibi: Diximus angelis. Est igitur locutio haec dei non angelorum / sed ad angelos. Item in capitulo Sad: dicitur: quod omnes adorauerunt Adam / praeter diabolum. Omnibus igitur angelis dixit deus: Adorate Adam. Item in multis Alcorani locis inducuntur tales quaedam locutiones pluraliter de deo / in talibus actionibus in quibus angeli nequaquam cum deo comunicant: sicut in creatione mundi / & iustificatione impij. Dicitur enim in pluribus locis Alcorani: Nos dicit creauimus caelum & terram / & quae sunt in medio: et non incassum iudicauimus hominem: & nos misimus filium Mariae: & dedimus ei spiritum sanctum & euangelium / & mira-

Quaestio
prima de
locutione
in pluri di
uinitate.

Aliud ar.

Aliud ar.